





1740 9 10
ORDINIS MEDICI
IN ACADEMIA VITENBERGENSI

H. T.

PRO - DECANVS
IOANNES FRIDERICVS
CRELLIVS

D. MEDIC. P. P. O. THERAPEIAE SVBSTITVTVS

PANEGYRIN MEDICAM

D. IX. NOV. A. R. G. MDCCXL

CELEBRANDAM INDICIT.



ORDINIS MEDICI
IN ACADEMIA VITENBERGENSI
PRO-DECANVS
IOANNES FRIDERICVS
CRELLIVS
D. MEDIC. P. P. O. THERAPIAE SVBSTITVTVS
PANTHEVRIN MEDICAM
M. IX. NOV. A. R. G. MDCCXXI
CELEBRANDAM INDICIT.



Quamdiu iustum solida inter & fluida corpo-
 ris nostri aequilibrium conseruatur, om-
 nes illius functiones expedite debitaque
 cum alacritate exercentur; mens nostra
 de domicili sui integritate secunda, suis ex
 uoto occupationibus laeta inhaeret; faci-
 leque medentum consilio caremus & au-
 xilio. At uero, quam primum a salubri hac, sapienterque con-
 stituta, omnium symmetria recedit corporis nostri machina,
 dum uel solida transitum fluidis expeditum denegant, uitalem-
 que humorum circuitum remorantur, uel haec impetuosiore
 motu nimis illa distendant atque exagitant, aut parcius in il-
 la segniusque instuunt, ad destinata impares munia languemus,
 tristisque doloris & molestiae sensu in illorum interpellamur
 exercitio; quo ipso animus de imminente corporis periculo
 admonetur, atque ad auertendam eius destructionem apta cir-
 cumspicere remedia instigatur. Eum certe in finem ad inti-
 mos omnium partium recessus neruorum ex cerebro educto-
 rum deriuantur filamenta, ut non duntaxat debito illas uigore
 anima-

animare, & tonum ad continuandos motus necessarium imper-
tire possint, sed ut omnium etiam insolitarum in iis contin-
gentium mutationum uestigia motu ibidem impresso ad cere-
brum usque deducant, atque adeo non externorum solum ob-
iectorum ad corpus nostrum relationem grata uel aduersa per-
ceptione indicent, sed & in ipsis penetralibus gliscentis pri-
mordia mali excitato dolore manifestent. Dum enim tener-
rima neruorum stamina a peregrino fortius in illa impacto
corpore distrahuntur, facile illorum dissolui destruique po-
test contextus, unde per ultimas illorum expansiones, quae
cum prima sua origine, atque inter se inuicem, arctissime sunt
connexae, momento citius ille tensionis sensus non ad cere-
brum tantum exporrigitur, sed cum uicinis etiam communi-
catur, atque late dispergitur, totumque illorum systema irre-
quieto conuellitur motu; tanto quidem maiore cum atrocita,
quo propius rupturae urget periculum. Neque uero in per-
turbato hoc corporis sui statu tranquilla relinquitur anima,
sed ob arctum, quo eidem coniuncta est, uinculum, de eius,
tanquam necessarij ad exequendos fines suos instrumenti, con-
seruatione sollicita, omne, quod interitum illi minatur, maxi-
ma fugit auersatione; hinc illa in omni corporis aduersa ua-
letudine anxietas animi atque consternatio, qua constantissima
ceteroquin, & aduersus quoduis extrinsecus ingruens malum
imperterrita, debilitari frangique cernimus ingenia. Frustra
enim OVIDIUS a communi hac mortalium sorte suum eximit
Heroem, qui

caccis torveri uiscera sentit

Ignibus, ac magnos superat uirtute dolores,
siquidem, teste experientia, fortissimum quemque, corpore
male se habente, omni alia cura atque cogitatione negle-
cta, de sola conquerentem intolerabili dolorum uehemen-
tia audimus, & quod CICERO *Quaest. Tuscul. L. III. c. 16.*
de omni mentis ob mala praesentia afflictione asseuerat, tanto
magis de dolore corpus nostrum afficiente, cuius cura proxi-
me

me nos & immediate tangit, ualet: *Reuocatio illa, cum a contru-*
endis nos malis auocant, nulla est. Non est enim in nostra potestate
fodicantibus iis rebus, quas malas esse opinemur, dissimulario uel ob-
liuio: lacerant, uexant, stimulos admouent, ignes adbibent, respira-
re non sinunt; & tu obliuisci iubes, quod contra naturam est. His
igitur monitoribus, non ipsi solum, quicquid ad leuandas mo-
lestias instinctus & solers in excogitandis delinimentis natura
suadet, sollicite applicamus, sed aliorum etiam, qui omne su-
um studium in cognoscendis atque debellandis corporis affi-
cti imbecillitatibus collocarunt, opem cupide imploramus.
Primae uero, imo unicae saepe aegrotantium de leniendis tol-
lendisque doloribus preces esse solent, ita ut solis duntaxat
anodynis & sopientibus, si illorum audias desideria, omnem
absolui medendi artem uideri possit. Multi etiam, qui illam
profitentur, dum cupide elaborant, ut prae ceteris gratiosi, &
in iuuando prompti, appellentur, hanc potissimum indicatio-
nem sibi commendatam habent, ut doloris sensum per narco-
tica quam primum obtundant, & intacta ipsius causa, quam in-
terea spontaneo naturae conatu subactum aut expulsum iri spe-
rant, suo se satisfecisse officio arbitrantur, ac de momentaneo
suorum remediorum effectu, applaudente adstantium coetu,
gloriantur. Verum enim uero recrudescentes, ubi uis remedii
euanuit, dolores, maiorique saepe uehementia breues illas in-
ducias compensantes, satis testantur, minus tutam hanc atque
constantem esse methodum, siquidem altiores interea causa mali
radices agit, nullis postea superanda, expellenda, remediis, unde,
nisi in praesentissimum uitae periculum praecipitatur aeger,
longi minimum, corrupti, & per omnem uitam miris saepe
symptomatibus molesti, semina relinquuntur morbi: de quo
alia scriptio, qua Cl. LVDOV. CHRIST. PEZOLDTI
Panegyryn indiximus, ex instituto actum est, cautusque anody-
norum usus pluribus commendatus. Aliam igitur uiam ingre-
di necesse est, eos, qui non fallaci tantum specie blandiri, sed
bene de suae fidei creditis aegris mereri cupiunt; & intento
in

in primam mali originem causamque oculo, hanc potissimum impugnare & ex corpore eliminare conuenit. Quod dum praestare satagunt, ea saepius in auxilium uocare coguntur, quae sub initium augere potius laborantium molestias, nouosque praesentibus superaddere dolores uidentur, & ut tuto citoque pristinae languentes restituant incolumitati, iucunditatis interea in medendo obliuiscendum est. Non iam communem illam delicatiorum querelam commemorabo, quod ea, quae remedii nomine exhibentur, plerumque palato minus arrideant, &

*saepe bibat succos, quamuis inuitus, amaros
aeger,*

utut enim immorigeri nimio ingratorum fastidio optimum saepe medici interuertant consilium, & praestantissima aduersus morbum remedia, ut aegro reuerti aliquid indulgeatur, seponere cogant, grauioris tamen mali sensus hanc superare nauseam prudentioribus facile persuadebit, dummodo hac exantlata molestia, reliqua illorum operatio placide & sine nouo tumultu peragatur. Verum quo generosiora fere sunt, & ad eiciendam materiae peccantis colluuiem magis idonea, eo etiam magis illorum actio aegrotantibus infesta uidebitur: siquidem in eo omnia conueniunt remedia euacuantia, ut non tam in peccantem morbosque generantem materiam immediate agant, quam potius stimulo quopiam uiscerum fibris applicato, ad frequentiore illa fortioremque motum incitent, & compellant, quo materia peregrina & corpori noxia duplicatis ueluti uiribus ex eodem proscribatur: ex quo molestum quendam, nerueas partium tunicas irritantem, sensum, ab illorum operatione separari non posse, sed ut salutarem & necessarium tolerandum esse, satis omnino patet. Quis ignorat, si in uentriculo & intestinis, quod saepissime contingere obseruatum est, haereat minera & fomes mali, aut hac certa uia commodissime eliminari posse censeatur, nauseas, anxietates, tormina, pluraque molestiora symptomata, uomitoriorum

rum & purgantium usum subinde comitari: inprimis si ex ualentioribus illa desumpta fuerint; in quorum censum ex Antimonio, Gummi Gattae, utroque Helleboro, Scammionio, Colocynthide, similibusque parata referri merentur, quae ob insignem, qua pollent, acrimoniam tam insensa corpori nostro sunt, ut insigniter eius oeconomiam perturbare, eiusque robur debilitare ualeant, imo ad ueneni indolem, improvide adhibita, proxime accedant. Tantum equidem abest, ut promiscuum eorum usum, quo empirici inprimis & agyrtae nostrorum temporum indiscretim in quorumcunque corpora saeuire solent, suadere atque approbare ausim, ut potius summopere laudandam esse censeam plerorumque nostrae aetatis medicorum sollicitudinem, qua proscripitis ex remediorum censu illis, quae nimis impetuose agunt, blandiora atque minus uirulenta commendant, quibus desideratus effectus tutius & maiori cum euphoria obtineri possit, sed & illa utcunque temperata, sine tamen omni molestia, integris uiribus, & cum effectu aliquo, agere uix unquam poterunt; & ubi pertinacior noxa leui brachio excui non potest, ad fortiora subinde cusae superandae paria deuenire cogemur. Quare CELSI monitum L. I. c. 3. probe tenendum censeo, qui, commemorata ASCLEPIADIS, suo iam tempore uomitoriorum & purgantium applicationem execrantis, sententia, subiungit: *Sunt haec perniciosi, si nimis ualentibus medicamentis fiant, sed tamen submouenda esse, non est perpetuum, quia corporum temporumque ratio potest ea facere necessaria, dum & modo, & non nisi cum opus est, adhibeantur.* Imo, ut alia euacuantium generataceam, diaphoreticorum etiam usum, quae multo tamen prioribus moderatius corpus afficere uidentur, non omni uacare molestia constat; siquidem intestina illa humorum agitatio, qua serum ad liberio rem per poros excretionem praeparatur, anxietatem saepe grauissimam, in iis inprimis, qui humores ad organum procliuem, cutemque adstrictiorem, obtinent, excitare solet, non nisi prudenti regimine moderandam atque

COR.

compescendam. Ut denique uerbo tantum eorum, quae uniuersali fere humorum colliuatione, copiosam saliuae excretionem eliciunt, meminerim, tam graua, & molestiarum plenissima sunt, quae hanc euacuationem solenniter comitantur, symptomata, ut nunquam ad illam suadendam medici, aut sustinendam aegroti, commoueri potuisse uideantur, nisi intimior humorum corruptela, nullis leuioribus corrigenda, extirpanda, remedijs, ad haec denique descendere coegerit. In usu tamen internorum remediorum nimium obtundere impetum, uariorum additione excedentem corrigere uehementiam, ita denique attemperare uiribus aegrotantium singula norunt prudentiores medici, ut, communis miseratione imbecillitatis tactos, inuitos se ad tristiora deuenire remedia satis testentur. At, si ad antiquissimam illam praestantissimamque medicinae partem, quae manum edetur, oculos conuertimus, omnia adhuc funestiora uidentur, ubi necessitas saepe, malorumque, in quibus medicamentis parum proficitur, atrocitas, uulnera, quae non accepit, facere, & officio ad speciem crudeli, a certo, quod imminet, corruptionis periculo, & praesentissimo interitu uindicare cogit artificem. CELSVS sane in praefatione L. VII. inter alia Chirurgi requisita id quoque desiderat, *ut animo intrepidus sit ac immisericors, sic ut sanari uelit eum, quem accepit, non ut clamore eius motus, uel magis, quam res desiderat, properet, uel minus, quam necesse est, faciat, sed perinde faciat omnia, ac si nullus ex ta loquentem inducit,*

lacrymarum longa manere

Tempora uos poterunt, ad opem breuis hora ferendam est.

Quis insignem illum instrumentorum in armamentarijs Chirurgorum apparatus, ferras, trepana, forcipes, cultros omnis magnitudinis, centumque alias machinas, quarum aliae ad reponenda luxata fractaque destinantur, aliae ad aperiendas partes, in quibus infestae dolorum causae altius delitescunt, & ui

eruendae sunt, inseruiunt, aliae ad partes corruptas, reliquas in consortium mali tracturas, amputandas adhibentur, quis, inquam, haec sine sacro quodam horrore intueri, & singula corporibus iam tum languentium & dolore confectorum applicanda esse cogitare poterit, ut non primo intuitu tam saeva remedia ipsis, quae corpora afficere possint, morbis infestiora minusque toleranda censeat. Imo ne ferrum quidem semper ad debellanda rebellia mala sufficere uisum est artis eius antistitibus, sed ipsum etiam ignem in subsidium uocare non dubitauerunt; de quo uaria in HIPPOCRATIS etiam scriptis prostant uestigia, dum libro de internis affectionibus f. XXVI. aduersus aquam intercutem ab hepate ortam, si alia non succedant, praecipit, *ἐπει γὰρ αὐτὸς ἐσωτὲ παχύτατος ἔη, καὶ τὸ ἥπαρ μέγιστον, κἀύσαι μύκησιν. ἔγω γὰρ ἀν τὰ χιτῖνα ὑγίεια ποιήσαι, καύσαι δὲ χερὲ ἰσχάρας οὐτώ.* L. de articulis f. XI. seqq. fusè docet, qua ratione humeros frequenter excidentibus ustione curare deceat: & de affectionibus L. f. XXX. ubi de coxendicem morbo tradit, inter reliquos affectus arthriticos uehementia & pertinacia dolorum facile principe, iubet, *εἰ δὲ ἐς ἐν τι χωρίον κατασηζέη ἡ ὀδύνη, καὶ σῆ, καὶ τοῖσι Φαρμάκοις μὴ ἐξελάνηται, καύσαι, καὶ ὁποῖον ἀν τοπον τυγχάνη εἰσα ἢ ὀδύνη. καίεν δὲ τῷ ὀμολίνῳ.* Quam certe lino crudo in doloribus articularum persanandis adustionem, HIPPOCRATI hic laudatam, imitantes, aut ipso rerum usu magistraque experientia edocti ad hunc usque diem retinere CHINENSES, qui simili prorsus artificio Moxam suam, ex lana foliorum Artemisiae indicae paratam, ad podagram curandam & extirpandam incensam membro affecto imponere solent: de quo illorum more, ut alios taceamus, VALENTINI peculiari libro fusius egit. Neque ab hac per ignem morbos debellandi ratione alienus est CELSVS,) ()
siqui

liquidem L. III. c. 21. aduersus uentris inflationem, si alia irrita fuerint, ferramentis candentibus pluribus locis uentrem exulcerare, & seruare ulcera diutius, iuber: & sequente c. 22. contra phthisin etiam similes in antica & postica pectoris regione suadere exulcerationes non ueretur. De articularum uero dolore L. IV. c. 26 manifesto asserit, quod omnes eiusmodi dolores, ubi inueterauerunt, nix citra uestionem finiantur. Neque, ut alia, quae in ARABVM & sequentium seculorum scriptis de igne ad mouendo reperiuntur, taceamus, nostris temporibus ita antiquatus est ignis usus, ut non subinde in ossium carie, cancro, scirrho, uariis excrescentiis, ipsoque sphacelo, ad partes corruptas extirpandas, ad candentia confugere ferramenta praecipiant optimi artis magistri. Non ignoramus equidem, saepius ob eiusmodi operationes paulo atrociores uisas male audiuisse Medicos, sed ante oculos uersantur ARCHAGATHI, Chirurghi Graeci, qui primus Romam appulisse dicitur, fata, quae Plinius in *Hist. Natur.* L. XXIX. principio, ubi, quicquid in opprobrium artis salutaris undique corradere potuit, acerbissima declamatione maligne exposuit, recenset: *Ei primo ius Quiritium datum, & tabernam in compito Acilio ab id publice emptam. Vulnerarium eum fuisse uocatum, mireque gratum aduentum eius initio; mox a saeuitia secandi uendique transisse nomen in carnificem, & in taedium artem omnesque medicos.* Quod in posteros studiose propagatam nostra etiam aetate durat, ut non desint, qui inuisa reddere medentium conamina laborent, & uel illorum studio ac sollicitudine a grauissimis liberati doloribus sannis illos & conuiciis foetri loco excipiant. Certe si quis unquam inuentus est, qui missima quaeuis tentare studuit, antequam ad uiolenta transiret, illius comitem me fociumque lubens profiteor, & ab
iis,

is, qui praecipiti nimis ac temerario ausu ad heroica eius-
modi tentamina accedunt, maxime alienus sum: ast ubi le-
nioribus frustra pugnatur, tempusque inaniter teritur, do-
nec praiceps medendi occasio elapsa fuerit, atque aeger,
qui generosiore medela seruari poterat, morbi tyrannidi
excruandus, conficiendus, relinquitur, intempestiuam re-
or misericordiam, uiroque indecoram. Mollibus uero
illis, qui talia locum inter medendi subsidia prorsus non
inuenire debere contendunt, mollissimus ceteroquin Poeta,
OVIDIUS, respondeat,

*Dura aliquis praecepta uocet mea, dura fatemur
Esse, sed ut ualeas, multa dolenda feres.
Ut corpus vedimas, ferrum patieris & ignes.*

Imo quod de sua praedicat in medendo amore arte, de
nostra merito asseuerare possumus,

*Sed tamen est artis tristissima ianua nostrae,
Et labor est unus tempora prima pati.*

Nonne in lithotomia, quae certe non inter mitissimas ope-
rationes referenda, prudenti sectione intra breue tempus
perficienda, lapides maiores in uesica concreti, uiolentif-
simorum dolorum auctores, excinduntur, & ab acerbissimo
in perpetuum hoste liberantur, qui nullum alias per
omnem uitam, inter continuos cruciatus transigendam, nisi
in morte, miseriarum exitum expectare poterant? Nonne
paucis momentis fistulae latissime serpentes, lentaque tabe
corpus consumentes, ac omnem aliam respuentes medelam,
unica sectione ad recipiendam eam aptae redduntur? Non-
ne mammae canerosae, aliusue membri gangraena corru-
pti, felix amputatio intra exiguum tempus intolerabiles

) (2

finit

fnit dolores, latius serpens contagium sistit, aegrumque
mortis e faucibus eripit? Vt operae omnino pretium ui-
deatur, grauiore etiam cum molestia, per exiguum tem-
pus fortiter sustinenda, grata atque diuturna redimere al-
cedonia. Neque uero aperto semper Marte hostem pro-
pria in sede inuadere consultum est, sed si principes ma-
lum nobilioresque partes occupauerit, excitato in remo-
tioribus atque ignobilioribus dolore euocare, & periculum
illis metuendum auertere conuenit. Eminent inter huius
census remedia, ut iam fetacea, ad rebelles affectus catar-
rhales capitis, serum impurum euacuando, non sine fructu
adhibita, silentio praetermittam, rubefacientia & uescan-
tia; quae cuti imposita maiorem ad partem electam totam-
que cutis peripheriam humorum affluxum alliciendo, no-
xias partes a uisceribus, quibus imminebant, ad superfi-
ciem euocant, & praesentissimum saepe in chronicis
aeque ac acutis affectionibus auxilium praestant. Quo sco-
po saepissime cantharidum puluerem emplastris iunctum
nunc nuchae, nunc scapulis, nunc brachio surisque impo-
nimus, qui sale suo acerrimo poris insinuat, fibrasque
potenter extimulans, copiosum illuc serum deriuat, quod
intra cutim & cuticulam collectum amplam exhibet uesu-
cam, eaque aperta largum satis feri stillicidium, pro huius-
modi medentis continuandum, augendum, subsequitur. Dum
autem sale potissimum caustico in solidas aequae ac fluidas
partes agunt, sedulo est cauendum, ne illud largius humo-
ribus communicatum spasmos uehementiores, inprimis in
urinariis uis, excitet: siquidem non interne solum pro-
feco urinam ciendi exhibitas, sed etiam exterius largius
ac diutius applicatas in subiectis tenerioribus cantharides,
stranguriam, mictumque saepe cruentum, excitasse, docuere
obseruationes, quae circumspcctum in illorum usu esse
iubent

iubent Medicum. De quo tamen plura in praesenti addere
superuacuum censemus, cum cautiones in earum usu
obseruandae copiose traditae sint in dissertatione, quam
Clarissimus atque Experientissimus Candidatus noster
futuro die Mercurii, pro Licentia, summos in Medicina ho-
nores, quando libuerit assumendi, tuebitur; cuius uitae stu-
diorumque rationes, ab ipso consignatas, more recepto B.
L. exhibemus.

*Ego IOANNES GEORGIVS HERR-
MANNVS, Anno MD CCX, die XII
Mensis Nouembris, Patre IOANNE
MICHAELE HERRMANNO, Ci-
uitatis Seydensis Consule, & Metallifodi-
narum Inspectore regio, Matre ANNA
ELISABETHA, nata CVNE-
SIA, in hanc lucem editus sum, & sub
eorum disciplina prima pietatis & litte-
rarum fundamenta in patria ieci. Post-
quam adoleui, ab Auunculo meo CV-
NESIO, Mercatore incluto, innume-
ris beneficiis optime de me merito Geda-
num euocatus sum, eoque auctore in
Gymnasio Thorunensi ab ore celeberrimo-*

)) (3

rino-

rimorum illius Professorum pependi,
inprimis cl. ZABLERI priuatis
praelectionibus multum me debere profi-
teor. Cum ibidem pluribus Medicinae
Doctōribus innotescendi suppeteret occasio,
primus laudatissimi huius studii amor
mibi inspiratus est, in quo optimis pro
suo in me affectu consiliis me confirma-
runt, & praecipua Physiologiae ac Pa-
thologiae fundamenta tradiderunt. Ge-
danum post quadriennium redux a
cel. KVLMO, Anatomiae P. P. publi-
ce & priuatim in addiscenda corporis
structura profeci, sicque praeparatus in
Academiam Argentoratensem me con-
tuli. In qua cel. IOANNEM
SALTZMANNVM P. P. Praxin
publice & priuatim docentem assidue
audiui, cel. IOANNIS BOE-
CLERI P. P. lectiones Botanicas fre-
quentavi, & Cel. HENRICI AL-
BERTI NICOLAI P. P. Collegiis
ana-

anatomicis & chirurgicis sedulo interfui. His instructus praesidiis, Lutetias Parisiorum profectus sum, ut ibi operationibus Chirurgicis quotidie ab exercitatissimis artis magistris suscipiendis interesserem. Morte demum laudati Auunculi domum reuocatus, Belgium in reditu inuisendum esse ratus, potiora, quae Amstelodami & Lugduni Batauorum Medici attentionem merentur, consideravi; inde salutato Gedano ad patrios Lares reuersus sum, de constituenda fortunae sede sollicitus.

Vt igitur nauati exteris in oris studii fructus colligere, artemque, quam didicit, publice exercere posset, ab Ordine Nostro, ut, tentatis eius profectibus, Licentia ad capiendos in Arte Salutari honores Ei concederetur, petiit. Postquam autem instituto Examine cum laude Eum in Medicina uersatum esse intelleximus, cathedram Eidem ad defendendam Dissertationem Inauguralem aperire non dubitauimus: quam de *Cambaridibus, prosperae & aduersae auctoribus ualitudinis*, conscriptam, die IX. Nouembris sub Praefidio Viri Excellentissimi atque Experientissimi, Domini CHRISTIANI GOTTFRIED STENTZELII, Artis salutaris & Philosophiae Doctoris, Pathologiae & Chir-

Chirurgiae Professoris Publici celeberrimi, Patroni multis nominibus suspiciendi, publice propugnabit. Vestra, Rector Academiae Magnifice, Perillustri Liber Baro, Patres Conscripti Grauissimi, omnium Facultatum Doctores & Licentiatii meritiissimi, Commilitones aestumatissimi, praesentia summum huic actui splendorem conciliabit, quam ut Cl. Candidato non denegeris, Ordinis Medici nomine perquam officiose rogo. P. P. die VI. Nou.
A. R. G. MDCCXL.

VITEMBERGAE

EX OFFICINA EICHSFELDIANA
ACADEMIAE A TYPIS.





W 078

ULB Halle
006 666 019

3







1740 9
10

ORDINIS MEDICI
IN ACADEMIA VITENBERGENSI

H. T.

PRO - DECANVS
IOANNES FRIDERICVS
CRELLIVS

D. MEDIC. P. P. O. THERAPEIAE SVBSTITVTVS
PANEGRIN MEDICAM

D. IX. NOV. A. R. G. MDCCXL
CELEBRANDAM INDICIT.

